

Hinc nonnulli crediderunt, ex Decreto Concilii Tridentini antiquorum Canonum penas innovante, ordinatos sine certo titulo esse à Sacris Ordinibus suspensos, & si ministraverint, futuros irregulares.

Verum quia per citatum *Capitulum 16. De Præbendis* pena suspensionis per antiquos Canones inflicta abrogata erat; communi pene Canonistarum consensu receptum fuit, Synodum Trid. per antiquos Canones dumtaxat intellexisse eas Decretales, quæ Episcopum obligant ad ministrandum vitæ necessaria Ordinato sine titulo; de qua obligatione agitur in *Cap. 2. 4. & 16. De Præbendis, & in Cap. 36. eod. in VI.* Hancque sententiam, proposito dubio S. Congregationem Concilii interpretem amplectam esse testatur Fagnanus ad *Cap. CUM SECUNDUM APOSTOLUM De Præbendis num. 63.*

XLV. Unde cum quidam sine titulo ad Ordines promoti ministrassent; quæsitumque fuisset, an irregularitatem propterea incurrisset, respondit S. Congregatio, Oratores quidem minime debuissent ad Sacros Ordines absque titulo sufficienti beneficii vel patrimonii promoveri; debuissentque observare, quod providè statutur Decreto *Cap. 2. Sess. 21.* Ceterum ordinatos ante felic. record. Sixti V. Constitutionem hac de re editam nequaquam propterea esse suspensos neque irregulares, tamen si susceptis Ordinibus

ministraverint; uti refert Fagnanus ibid. *num. 64.*

Constitutio Sixti V. cujus meminit S. Congregatio, incipit *Santum & salutare 40.* in Bulla R. atque in ea Clerici sine titulo sufficientis beneficii aut patrimonii ad Sacros Ordines promoti declarantur perpetuo suspensi ab executione dictorum Ordinum, & si in eis ministraverint, irregulares. Sed quoad hunc articulum postmodum Clemens VIII. hanc Constitutionem Sixti V. reduxit ad terminos Concilii Tridentini per Constitutionem quæ incipit, *Romanum Pontificem 30.* in Bull. R.

Si tamen Clericus fictis instrumentis aliisve fraudibus deceperit Episcopum ordinantem, falsum titulum supponendo & fingendo, eo casu juxta antiquos Canones Clericum suspensum fore ab executione susceptorum Ordinum; eamque penam quoad hunc casum à Synodo Tridentina innovatam esse, multis probat Fagnanus loco citato; atque ita aliquando respondisse S. Congregationem refert *num. 68.*

XLVI. De obligatione Episcopi subministrandi Clerico sine sufficienti titulo Ordinato & egentis vitæ necessaria; & quando ejus hæredes, aut successores etiam teneantur; & quibus titulis ab hac obligatione eximi interdum possit, satis latè tractat Fagnanus ad dictum *Cap. CUM SECUNDUM APOSTOLUM*, qui, casu incidente, consulti poterit.

## TITULUS X.

### De Irregularitate ejusque Speciebus.

#### CAPUT I.

##### De Irregularitate in genere.

1. *Quomodo apud Veteres nota Irregularitas?*
2. *In quo precipue antiquitus fundata Irregularitas?*
3. *Multis seculis solum crimen causa fuit Irregularitatis.*
4. *Quâ ratione collapsio discipline modernis Irregularitatis occasionem dederit.*
5. *Descriptio Irregularitatis.*
6. *Quare dicatur impedimentum Canonicum.*
7. *Hodie non contrahitur Irregularitas nisi in casibus in jure expressis.*
8. *Non nisi certa & determinata sunt crimina quibus Irregularitas est annexa.*
9. *Irregularitas crimini annexa, non censetur contracta nisi crimine consummato.*
10. *Irregularitas directe tantum concernit suspensionem Ordinum eorumque usum.*
11. *Antiqui Canones huic discipline occasionem dedisse videntur.*
12. *Irregularitas in quo distinguatur à Censura?*
13. *Proprium est Irregularitati, quod per penitentiam non tollatur.*
14. *Id consonum est pristina disciplina.*
15. *Irregularitas non semper supponit culpam.*
16. *Irregularitas ferè per solam dispensationem tollitur.*
17. *Duplex species Irregularitatis.*

**V**erbum illud *Irregularitas* in antiquis Canonibus non occurrit, ait Franciscus Le Roy Antecessor Andevagenis in Institutionibus Juris Canonici *lib. 3. cap. 16.* sed cum regulas præscriperint, ex quibus intellegat, quinam ordinari possint, vel non, hi qui ab iis re-

gulis alieni sunt, sive qualitates in regulis præscriptas non habent, dicebantur à regula *alieni*; uti legitur in *Canonibus 17. Nicano*, ubi decernitur, quod si quis Clericus inventus fuerit usuras ex mutuo sumere, vel turpelucrum sectari, *è Clero deponatur, & sit ALIENUS à CANONE*; uti vertit Hervetus; vel ut legit Dionysius Exiguus: *Deiciatur à Clero, & ALIENUS existat à REGULA.*

Quid verò est aliud, *alienus à Canone* vel *Regula*, nisi *irregularis*, sive secundum Regulam non probatus; sed à Regula devius.

Adhæc eadem Synodus *Can. 9.* loquens de quibusdam Presbyteris sine examine ordinatis, & peccata ante ordinationem commissa consentibus ait: *Tales Regula non admittit.* Quid his verbis aliud indicat, quam Presbyteros illos esse *irregulares*; sive quod Regula eos ad Ordines non admittat; sive ex regula seu Canone excludantur.

II. Specialiter autem notandum, quod post relata verba immediate subjicit dictus *Canon. 9. Quia quod IRREPREHENSIBILE est, Catholica defendit Ecclesia*: quali diceret, quod *irreprehensibile* est recipit ac tuevit Ecclesia.

Hinc non obscurum est, Synodum irregularitatem præcipue fundasse in præcepto Apostoli volentis ordinandum in Episcopum esse *irreprehensibilem & sine crimine.*

III. Et revera multis seculis irregularitas sive exclusio à Sacris Ordinibus, eorumque functionibus, unice verè in crimine ejusque suspensionis consistit; omnisque ille censetur *irregularis*, qui non erat *irreprehensibilis & sine crimine*; ipsumque crimen commissum irregularem constituerebat committentem; hoc est, eum à Sacris Ordinibus in perpetuum arebat, si nondum iis esset initiatus; aut si jam initiatus esset, à functionibus illorum suspendebat: adeo ut nec astra penitentia restitueretur; atque ita revera irregularis censetur; uti infra *capite 6.* ostendetur.

IV. At cum sensum labentibus seculis disciplina circa admittendos reos alicujus criminis, præsertim occulti, non nihil fuit relaxata; persuasumque tandem fuit, crimine per penitentiam & sacramentalem absolutionem remisso, sublatum esse impedimentum; atque ipsum reum posse libere

ad Sacros Ordines promoveri, aut ad susceptorum functiones restitui, coacta fuit tandem Ecclesia, hanc libertatem ex disciplina prolapsione progenitam restringere: nonnullaque crimina defectusque nonnullos notare, quæ per penitentiam quidem eatenus aboleri possint, ut quis ad justitiam, & cum communibus Fidelibus usui Sacramentorum restituitur, ita tamen ut qui illis semel fuerint inquinati à Sacris Ordinibus eorumque functionibus perpetuo maneat exclusi.

Qui itaque ob hujusmodi crimen aut defectum à Sacris Ordinibus aut eorum functionibus excluduntur, hodie dicuntur *irregulares*; & simile impedimentum vocatur *irregularitas.*

V. Unde irregularitas communiter definitur, *Impedimentum canonicum acceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, aut aliquem eorum usum directe impediens, etiam post penitentiam.*

VI. Dicitur impedimentum *canonicum*, id est, jure Canonico seu Ecclesiastico inductum. Cum enim jam per disciplinam collapsionem eò deventum esset, ut etiam gravissimorum criminum rei post actam dignam de crimine penitentiam, & absolutionem à Sacerdote obtentam, ad Sacros Ordines promoveri, aut eorum functionibus restitui possent nullum amplius ratione criminum aut defectuum videbatur post peractam penitentiam superesse impedimentum; visum itaque fuit, omne hujusmodi impedimentum adscribendum esse positivo Ecclesiæ Decreto; quo ipsa declarat, huic illive crimini aut defectui obnoxios *in perpetuum* à Sacris Ordinibus eorumque functionibus esse exclusos.

VII. Hinc ulterius pro regula invaluit, irregularitatem sive hujusmodi impedimentum non censeri contractum, nisi in casibus à jure expressis; quæ regula sat aperte probatur à Pontifice in *Cap. 18. de Sent. excommunicat. in VI.* ubi respondet Pontifex, quod "is qui in Ecclesia sanguinis, aut feminis effusione polluta, vel qui præsentibus majori, excommunicatione notatus scienter celebrare præsumpsit, licet in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen laqueum, non incurrit: adducta hac expressa ratione: *Cum id non sit expressum in jure.*"

VIII. Quapropter hodie non nisi certa ac determinata sunt crimina, quæ irregularitatem pariunt; quibus nimirum jus ipsum eam expressè annectit: neque ab uno ad alterum ob ejus forsitan majorem vel æqualem gravitatem argumentum duci potest: quandoquidem juxta modernam disciplinam, crimen non pareat irregularitatem, nisi id in jure sit expressum.

IX. Hinc ulterius inferitur, quod si alicui crimini v.g. homicidio aut mutilationi annexa sit *irregularitas*, hæc contracta non censetur, nisi *re ipsa* homicidium vel mutilatio sit sequuta, tamen si adfuisset plena voluntas & exterior conatus; cujus executio etiam casu quasi fortuito fuisset expectata.

X. Dicitur fuit in descriptione, receptionem Ordinum, aut aliquem eorum usum *directè* impediens; eò quod irregularitas *primario* ac *directè* tendat ad impediendam Ordinum receptionem, vel eorum usum impediendum.

Unde cum hodie Beneficia & Ordines, eorumque functiones sint planè disparata; neque Ordo supponat Beneficium; ipsumque Beneficium sine ordinum usu haberi & retineri possit; etiam receptum est, irregularitatem, quamvis privet usu & exercitio Ordinum, non tamen privare Beneficio, nisi specialiter in jure fuerit expressum quemadmodum de homicidio per Assassinos perpetrato decernitur in *Cap. 1. De Homicidio in VI.*

XI. In antiquis quidem Canonibus, tibi de hoc impedimento agitur, tantum Ordinum & eorum usum sit mentio; at notandum quod Beneficia non censentur exclusi juxta disciplinam illius temporis: Nam re dè advertit Franciscus Le Roy loco citato, cum olim Ordines & Beneficia simul

omnino conerentur, eade irregularitas ad utrumque simul etiam præcludebat actum.

Postquam ergo Beneficia ab ipsis Ordinibus separari, atque eorum provisiò ab ipsa Ordinatione sejungi cœpit; ipsaque disciplina quæ utramque confundebat jam eliet obliterata, cœpit quoque ipsa irregularitas ad solos Ordines restringi; eò quod Canones de totis Ordinibus loquerentur: atque ita tandem receptum est contra pristinam disciplinam, quod irregulares suis Beneficiis non censentur privati; nec ab eorum functionibus suspensi, modo ab Ordinum functionibus abstineant.

XII. Deinde quia irregularitas *directè* ac primario tendit ad impediendum Ordinum susceptionem, aut eorum usum ideo species *censuræ* non reputatur. Quia licet Censura etiam impediatur Ordinum susceptionem & usum; non tamen *directè* ac *primario* ad hoc infligitur; nec directus ac primarius est hic censurarum effectus sed dumtaxat indirectus & per consequentiam. v.g. Censura impedit Ordinum functiones quatenus sunt communicatio quædam fidelium, ut *excommunicatio*: aut quatenus sunt officia quædam Ecclesiastica; hoc est à personis Ecclesiasticis exercenda, ut *suspensio*: aut quatenus sunt usus Sacramentorum, ut *interdictum*: at sola irregularitas *directè* eas impedit quatenus specialiter spectant ad exercitium Ordinum.

XIII. Denique dicitur in descriptione irregularitatis, *etiam post penitentiam*; quia proprium est irregularitati, etiam ex crimine contracta, quod crimine per penitentiam remisso, nihilominus maneat irregularitas, impediens Ordinum susceptionem aut eorum usum.

XIV. Id conforme est pristinae disciplinae. Licet enim crederent Patres, graviora quoque crimina per penitentiam deleri; atque post remissionem peccatores ad justitiam redire, & sine crimine esse; nequaquam tamen credebant, eos qui hujusmodi crimina commiserant, mox à peracta penitentia & obtenta reconciliatione, dici posse *irreprehensibiles & sine crimine* ad sensum Apostoli requirentis ut Ordinandus in Episcopum sit *irreprehensibilis & sine crimine.*

Quod ergo irregularitas maneat, etiam postquam crimina ex quibus hæc orta est, per penitentiam sunt deleta; atque ipse reus ratione commissorum criminum impediatur ad sacros Ordines ascendere, aut in illis ministrare, pristinae disciplinae reliquia sunt, uti infra *cap. 6.* latius ostendetur.

XV. Neque tantum ob crimina incurritur irregularitas; sed & ob defectus quosdam tum corporis tum mentis ea contrahitur; licet hi defectus ex nulla culpa contracti sint, neque ullam in subiecto culpam arguant: eò quod defectus illi vel naturale impedimentum Ordinum executioni ponant, vel aliquam indecentiam annexam habeant, ob quam Ecclesia non judicat passim hujusmodi defectuosos ad Ecclesiastica Ministeria admittendos.

XVI. Sive autem ex defectu, sive ex crimine oriatur irregularitas, semper parit impedimentum ad Ordines suscipiendos, aut in susceptis ministrandum; neque illud impedimentum per penitentiam, sed non nisi per dispensationem ordinariè & propriè tollitur.

XVII. Duplex igitur est irregularitas, altera ex defectu, altera ex crimine orta; & utraque varias sub se species complectens: præcipuas magisque hodie usitatas dumtaxat proponam, ac primum quæ ex defectu, dein quæ ex crimine oriuntur.

#### CAPUT II.

##### De Irregularitate ex Bigamia.

1. *Apostolus vult Episcopum & Diaconum esse unius uxoris virum.*
2. *Quis sit sensus Apostoli?*

3. *Quare*

3. Quare Apoſtolus voluerit Episcopum eſſe unius uxoris virum.
4. Secunda nuptia nunquam reprobata; licet eas contrahentibus ſubinde pœnitentia fuerit impoſita.
5. Patres Græci Bigamum non putarunt qui ante Baptiſmum plures habuit uxores: & quare?
6. Irregularitatem ex nuptiis cum Vidua unde deſumerent Patres Græci?
7. Sanctus Hieronymus Græcis conſentiens.
8. Innocentius I. aliam rationem huius irregularitatis eſſe credidit.
9. Auguſtinus Innocentio conſentit; & uterque credit Bigamiam ex nuptiis ante Baptiſmum contractis oriri; & quare?
10. Sanctus Auguſtinus non in ratione morali, ſed myſtica hanc irregularitatem fundavit; & qua hæc ratio.
11. Eandem probavit S. Leo.
12. Exponitur quomodo in defectu Sacramenti hæc Bigamia ex ſententia S. Auguſtini conſiſtat.
13. Fundamentum irregularitatis ab Auguſtino aſſignatum ſenſim ubique receptum.
14. Sententiam Auguſtini ſuſius expreſſit & probavit Innocentius III.
15. Bigamus hodie habetur qui duas ſucceſſivè cognovit uxores, quamvis ante Baptiſmum.
16. An extra hunc caſum vera detur Bigamia, incertum eſt.
17. Datur Bigamia interpretativa æquivalens veræ Bigamiae.
18. Tali eſt Bigamia orta ex iteratis nuptiis nulliter contractis à conſtitutis in Ordine Sacro.
19. Similis eſt Bigamia ex nuptiis invalidis cum vidua.
20. Similis Bigamia oritur ex matrimonio cum unica, ſed ab alio prius corrupta; at hodie in uſu non eſt.
21. Contrahens valide cum vidua quo ad effectus juris eſt, verus Bigamus.
22. Olim Bigami tantum à Sacris Ordinibus excludebantur.
23. Hodie ab omni Ordine, etiam prima Tonſura excluduntur.
24. Id quoque obtinet in Bigamo ex nuptiis cum vidua; nec ad ullum Miniſterium Eccleſiaſticum admittuntur Bigami.
25. Bigami etiam à Miniſterio quorumcumque Ordinum ante ſuſceptorum ſuſpenduntur.
26. Episcopus hodie nec cum Bigamo interpretativo diſpenſare poteſt.
27. Nequidem ad minores Ordines, aut Beneficia ſimplicia.
28. Quare potius cum criminosis, quam Bigamis liceat Episcopis diſpenſare?
29. Diſciplina hodierna circa Bigamos eſt rigidior quam priſtina erat.
30. Olim facilis cum Bigamis, quam cum criminosis diſpenſatum fuiſſe, præſertim ex ſententia Græcorum.
31. Quod Bigamia ſimilitudinaria olim incognita.

I. Apoſtolus in prima ſua epiſtola ad Timotheum cap. 3. deſcribens qualitates in Episcopis ac Diaconis neceſſarias inter alia dicit: *Oportet ergo Episcopum irreprensibilem eſſe UNIUS UXORIS VIRUM.* Deinde Diaconis loquens: *Diaconi ſint UNIUS UXORIS VIRI.* Et rursus in epiſtola ad Titum cap. 1. præcipiens Tito ut conſtituat per civitates Presbyteros, ait: *Si quis ſine crimine eſt, UNIUS UXORIS VIR.*

II. Vetus ac genuinus ſenſus huius Apoſtolicæ præcepti

verbis allegatis expreſſi eſt, *Oportere Episcopum eſſe unius uxoris virum*, id eſt, oportere, ut ſi uxorem habeat aut habuerit, non tamen ſecundam acceperit, ſed *unam* tantum, ſive eam habuerit, ſive adhuc habeat. Sic enim & paulo poſt vult, *eum filios habere ſubditos cum omni caſtitate*, id eſt, ſi filios habeat ut ſubditi ſint: ita Eſtius in Commentario ad citata verba epiſtolæ ad Timotheum; eumque ſenſum à plerique Patribus traditum eſſe ibidem notat; multique oſtendit, hunc ſenſum eſſe menti & textui Apoſtoli conformem; unâ advertens, quod propter hanc Apoſtolicam hoc ſenſu intellectam ſententiam, Eccleſia *Bigamos* à Sacris Ordinibus ſemper excluſerit; Bigamos utique intelligens eos, qui priore uxore mortuâ duxerunt ſecundam.

III. Si ipſum Apoſtoli contextum, ſive in epiſtola ad Timotheum, ſive in ea ad Titum propius expendamus, apparebit, Apoſtolum hic præcipue præ oculis habuiſſe incontinentiam ſeu ejus ſuſpicionem; hancque tamquam fundamentum huius irregularitatis conſideraſſe. Dum enim ſcribens ad Timotheum dicit: *Oportet ergo Episcopum irreprensibilem eſſe, UNIUS UXORIS VIRUM, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, &c.* quid aliud intendit, niſi exprimeret vitia, à quibus immunem volebat Episcopum; & virtutes quibus eum inſtrutum oporteret? Idem vult cum de Diaconis loquitur. Deſcribens enim virtutes Diaconis neceſſarias, & vitia à quibus eos immunem eſſe oporteat, inter alia addit: *DIACONI UNIUS SINT UXORIS VIRI: qui filius ſuis bene præſint, & ſuis domibus.*

Nec id obſcurius expreſſit in epiſtola ad Titum, ubi exponens quis in Episcopum ordinandus ſit, ait: *Si quis ſine crimine eſt, UNIUS UXORIS VIR, filios habens fideles, non in accuſatione luxuria, aut non ſubditos.*

Nonne hic liquet, ſcopum Apoſtoli fuiſſe, omne crimen, & criminis præſertim incontinentiæ ſeu luxuriæ ſuſpicionem ab ordinando Episcopo removere? ad eum & à filiis remotam voluerit luxuriæ accuſationem; ne filiorum luxuria patrem in ſuſpicionem adducat.

Et quia non tantum ab Episcopis aut Diaconis incontinentiæ omnis vel levis ſuſpicio abeſſe debebat; ſed & à fœminis, quæ in miniſterium Eccleſiæ eligebantur, ideo & hanc conditionem in Vidua eligenda requirit. *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, qua fuerit UNIUS VIRI UXOR, in operibus bonis teſtimonium habens &c.* 1. ad Tim. 5.

Unde ad verba Apoſtoli reflectens S. Chryſoſtomus homilia 2. in epiſtolam ad Titum ait: *Caſtigat hoc ipſo etiam impudicos, dum non eos permittit poſt ſecundas nuptias ad Eccleſiæ regimen, dignitatemque Paſtoris aſſumi.*

Eadem ſerè fuit orationum Græcorum Patrum ſententia; quibus & nonnulli à Latinis conſenſere, ut mox ex verbis eorum citandis apparebit.

IV. Quamvis enim tam Græci, quam Latini Patres ſecundas nuptias nunquam crediderint illicitas, perſuaſum nihilominus iis erat, quod tam viri quam mulieres nuptias iterantes, inſolitâ ac immoderatâ in luxuriam libidine ferrentur, aut ut minus illius ſuſpicionem non leviem ingererent.

Hinc Digamis ſive nuptias iterantibus jam pridem pœnitentiam Canonicam impoſitam, præſertim apud Græcos legimus.

Synodus Neocaſarienſis *Can. 3.* De his qui in plures nuptias inciderunt tempus quidem præſtitutum manifeſtum eſt, ſed converſatio eorum, & fides tempus abbreviat.

Priorem Canonis partem exhibet Gratianus *cauſa 31. q. 1. Can. 8.* his verbis: qui frequenter uxores ducunt, & de his quæ ſæpius nubunt, tempus quidem *pœnitentiæ* hiſ manifeſtum conſtitutum eſt: ſed converſatio, & fides eorum tempus abbreviat.

Hæc lectio ſat innuit, hic de veris Bigamis, id eſt, qui ſuc-

ſucceſſivè plures duxerunt legitimas uxores, agi, quemadmodum & de his agit *Canon. 7.* ejuſdem Synodi ſtatuens, *Ne Presbyter in nuptiis ejus, qui Digamis efficitur, con-* vivetur. Cum enim requirat *pœnitentiam* Digamus, qui erit Presbyter, qui eò, quod ſit convivio acceptus, nuptiis aſſentiatur? Hoc eſt (ait Zonaras ad hunc Canonem) qui fieri poteſt ut *pœnitentiam* à Digamo exigere non pudor ſit ei, qui Digami factum à ſe non improbari, cum nuptiis ſecundis ipſe interfuerit, ſatis oſtendit.

Hiſ Canonibus de veris Bigamis ſeu Digamis agi, uno conſenſu docent Græci Canonum Commentatores; ipſeque Baronius fatetur ad *annum 313. num. 91.* agnoſcens Bigamis *pœnitentiam* aliquam impoſitam fuiſſe: *Non quod (ait) ſecundum matrimonium contrahendo peccent, ſed quod ſuam ipſius incontinentiam manifeſtent; & Bigamiam, quæ in humanæ infirmitatis remedium inſtituta eſt, licentius uſurpent.*

V. Græci itaque hanc rationem moralem, nimirum incontinentiam ejusve ſuſpicionem, tamquam fundamentum huius irregularitatis ſtatuebant; atque inde tamquam conſequens ulterius inferebant, Matrimonium in ipſa gentilitate, ſive ante ſuſceptum Baptiſmum contractum non ponere hanc irregularitatem; eumque ad ſenſum Apoſtoli habendum *unius uxoris virum*, qui poſt Baptiſmum *unam duxerat* habuit, licet alteram ante Baptiſmum habuiſſet: eò quod per Baptiſmum omnis macula contracta deleatur; atque è veteri in novum hominem regeneretur.

*Canon. 16.* Apoſtolorum ita habet: *Qui poſt Sanctum Baptiſmum duobus conjugii fuerit implicatus, vel habuerit concubinam, non poteſt eſſe Episcopus, vel Presbyter vel Diaconus vel omnino ex numero Sacerdotali.*

Duo ex hoc Canone habemus. Primum, quod irregularitatis fundamentum non obſcurè in ipſam incontinentiam ſeu ejus ſuſpicionem reponat; cum eum qui duobus conjugii implicatus fuit, confert cum habente concubinam.

Uterius cum tantum eum irregularem pronuntiet, qui *POST Sanctum Baptiſmum* duobus conjugii implicatus fuit, ſat innuit, conjugii ante Baptiſmum contracti rationem habendam non eſſe: quod & Baſamon annotavit dicens: *Eum qui poſt Sanctum Baptiſmum Digamus fuerit vel fornicatus ſit, prohibet Canon fieri Episcopum, vel Sacerdotale quidpiam exercere. Quæ enim ante Baptiſmum admilla ſunt omnis generis peccata prætermittunt, cum factus ſit novum opus ſola gratia Sancti Spiritus.*

Idem notat Zonaras ſcribens: *Divinum Lavacrum Sancti Baptiſmatis omnes credimus ablucere ſordes ipſis, Baptizatis illitas ante Baptiſmum, nullumque peccatum, quod ante Baptiſmum ab aliquo fuerit patratum, prohibet ad Sacerdotium promoveri Baptizatum. Quod ſi poſt Baptiſmum ſcortatus fuerit, aut nuptiis duplicibus ad hæſerit, indignus qualicumque Sacerdotio judicatur.*

VI. Græci itaque huius irregularitatis rationem deſumentes ex incontinentia, ejusque ſuſpicionem, irregularitatem quoque provenientem ex conjugio *cum vidua* deſumendam crediderunt ex incontinentia ejusve ſuſpicionem, nimirum ipſius mulieris nuptias iterantis, quam per mulierem in maritum aliquo modo redundare ſupponebant.

Unde hanc irregularitatem non fundebant in his Apoſtoli verbis, *unius uxoris vir*; ſed potius in his quæ idem Apoſtolus ſubjungit: *Filios habens fideles non in accuſatione luxuria.*

Licet enim peccata filiorum non imputentur parentibus in culpam, ſi ipſi in iis diſſimulandis aut fovendis nullam culpam habuerint, tamen (ut notat S. Hieronymus in citata verba Apoſtoli) tam ſanctum nomen Sacerdotii eſt, ut nobis etiam ea, quæ extra nos ſunt poſita, reputentur, non quod propter vitia noſtra Episcopi non ſiamus, ſed quod

propter filiorum incontinentiam ab hoc gradu arcendi ſumus. Quæ enim libertate poſſumus alienos filios cortipere, & docere, quæ recta ſunt, cum nobis ſtatim poſſit qui fuerit correptus ingerere, ante doce filios tuos... Non itaque juſtus pollicetur ex filiorum vitiis, ſed libertas ab Apoſtolo Eccleſiæ Principi referatur, quod talis fiat, qui non timeat propter vitia liberorum extraneos reprehendere.

Itaque ſicuti Apoſtolus incontinentiam liberorum credidit redundare in Patrem; atque libertatem adimere reprehendendi incontinentes, & docendi quæ recta ſunt, eandem ratione uxoris maculam, ſuſpicionemve incontinentiæ cum eodem effectu redundare in maritum; atque maritum ad Sacerdotium irregularem reddere exiſtimarunt.

Hanc creditam fuiſſe fundamentalem huius irregularitatis rationem ſat aperte indicat *Canon. 18.* Apoſtolorum: *qui viduam accepit, vel ejectam vel meretricem, vel ſervam vel mimam ſeu ſcenicam, non poteſt eſſe Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotali.*

Hunc Canonem commentatus Baſamon ait: *Nota præſentem Canonem: vult enim non ſolum eum qui eſt ſacratus eſſe modeſtum & continentem, ſed etiam ejus conjugem: & ideo mulieres quæ hic comprehenduntur, prohibuit cum ſacris hominibus matrimonio jungi, ut pote quod eas continenter vivere non credatur, propter earum ſordes & improbitatem.*

VII. Sanctus Hieronymus multo tempore apud Græcos verſatus, & eorum principiis inſtructus, in hoc quoque articulo Græcis ad hæſit; atque irregularitatem Bigamiæ in hac morali ratione fundatam credidit. Unde in epiſtola ad Titum ſcribit: *Quod autem ait, unius uxoris vir, ſic intelligere debemus, ut non omnem monogamum Digamam, mo putemus eſſe meliorem, ſed quo ſi poſſit ad monogamiam & continentiam cohortari, qui ſui exemplum præferat in docendo. Quæſi diceret, ideo vult Apoſtolus ut Episcopus ſit unius uxoris vir, ne aliàs non poſſit ad continentiam cohortari, qui iteratione nuptiarum, ipſe non ſat præferat continentiam exemplum.*

Hinc mox conformiter ad Græcorum ſententiam dicit; *multi ſuperſtitioſius magis quam verius, etiam eos qui cum Gentiles fuerint, & unam uxorem habuerint, quæ a miſſa, poſt Baptiſmum Chriſti alteram duxerint, putat in Sacerdotio non legendos, cum utique ſi hoc obſervandum ſit, illi magis ab Episcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices ante exercentes libidinem, unam reſervati uxorem acceperint, & multo deteſtabilius ſit fornicatum eſſe cum pluribus, quam Digamum reperiri, quia in alio infelicitas matrimonii eſt, in alio ad peccandum prona laſcivia.*

Idem ſuſius aſtruit, & contrarium ſuſtinentes acerrimè perſtringit in *Epiſtol. 83.* ad Oceanum, atque inter alia hanc format conſolutionem: *Si Baptiſmus novum hominem facit, & ex toto novum creat, nihilque in eo veteris hominis reſervatur, non poteſt novo imputari, quod in veteri quondam fuit. Sententia Hieronymi reſertur apud Gratianum *Diſtinct. 26. Canon. 1. & Cauſ. 23. quaſt. 3. Can. 1.**

VIII. Patres Latini plerique attendentes licitum ſecundarum nuptiarum uſum, nec ita ad incontinentiæ ſuſpicionem eiſdem annexam reflectentes, crediderunt ab Apoſtolo in hoc præcepto non incontinentiam, ſed ipſam nuptiarum iterationem ſimpliciter fuiſſe conſideratam.

Innocentius I. in epiſtola ad Victricium Episcopum Rothomagenſem *cap. 6.* poſtquam dixit Clericum non eſſe ordinandum qui ſecundam duxit uxorem, ſubjicit: *Ac ne ab aliquibus exiſtimetur, ante Baptiſmum ſi forte quis accepit uxorem, & eâ de ſeculo recedente alteram duxerit,*

rit,